



10

1684, 1
14
16

Q. D. B. V.
DISPUTATIO JURIDICA
DE
POSSESSIONE,

Quam
Ex Decreto
Amplissimi Senatus Academici
secundum Statuta

PRO LOCO
PROFESSIONIS IN JURE EXTRA-
ORDINARIÆ

obtinendo
Publicæ Eruditorum disquisitioni
subjicit

SIGISMUNDUS DÖSCHER,
U. J. D. Sereniss. Elect. Brand. Cōsiliarius;
& Judicii Aulici, quod rerum crimi-
narium est, Assessor,

RESPONDENTE
JOHANNNE BEHREND,

Insterb. Pruss.
Ad. d. 3. Febr. Anni M. DC. LXXXIV.
IN AUDITORIO MAJORI
Horis ante- & pomeridianis.



REGIOMONTI, PRÆLO REUSNERIANO.

P. 63



SERENISSIMO ATQVE POTENTISSIMO
PRINCIPI ET DOMINO

DN. FRIDERICO
WILHELMO,

MARCHIONI BRANDENBURGICO,
S. R. I. ARCHI-CAMERARIO

ET

PRINCIPI ELECTORI,

BORUSSIAE, MAGDEBURGI, JULIAE, CLIVIAE, MON-
TIUM, STETINI, POMERANORUM, CASSUBIORUM,
VANDALORUM, IN SILESIA ITEM CROS-
NAE CARNOVIAEQVE

DUCE,

BURGGRABIO NORINBERGENSI,
PRINCIPI HALBERSTADII, MINDAE, CAMINI, COMITI
MARCÆ ET RAVENSBERGÆ, DOMINO RAVEN-
STEINII, NEC NON TERRARUM LAUEN-
BURGI ET BUTO, &c. &c. &c.

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

Disputationem hanc inauguralem & semetipsum
cum devotissimo sanguine humilli-
mè offert

PRÆSES.



§. I.

DE POSSESSIONE Mindanus tract. sing. de Materia possessionis statim ab initio hæc enunciat: *Si qua juris materia cognitu utilis, & explicatu necessaria est; ea sane possessionis est. Uti enim hæc ipsa frequens, quotidiana, & undiquaq; in conspectum posita, inq; omnes fere juris controversias incidens: ita perplexissima hæctenus obscurissimq; & multiplicibus Doctorum interpretationibus distractissima fuit.* Jctus à Salis in sicilimentis ex toto jure collectis ad rubr. tit. ff. de acquir. & amitt. possess. addidit, quod per se etiam sit subtilissima: *Habet hoc caput, inquit, argumentum sive objectum subtilissimum, spinosissimum & utilissimum. at pessimè à Glossographis explicatum.* Imo teste Giphano ad dict. rubr. ejusd. tit. *Omnes hanc disputationem de possessione difficillimam esse ajunt.* Quare operæ pretium videtur, in id laborare, quâ via ex difficultatibus hujus materiæ eluctari quàm optimè queamus. An Mindanus tandem viam invenerit, judicent alii. Nos potissimas difficultates ex ex minùs rectè traditâ natura possessionis, & variis iisque interdum latentibus æquivocationibus haud satis observatis exortas esse opinamur. unde adeo circa investigandam possessionis naturam, quod nostrum hac vice erit propositum, ante omnia æquivocationes erunt discutiendæ.

§. II. Possessio sanè multis modis dicitur. Planè *abusivè* sumitur pro ipsa re possessa, idq; vel pro re immobili propria, ut tradit l. 78. ff. de verbor. signif. Interdum proprietatem (id est rem propriam) quoq; verbum possessionis significat, sicut in eo, qui possessiones suas legasset responsum est. add. l. 41. §. 6. de legatis 3. ibi: *suburbanam adjacentem possessionem l. 11. C. de prædiis minor. non alien. ibi: venditionem vili pretio ejus possessionis.* Vel pro prædio, cujus possessio & usus perpetuus ad nos pertinet, proprietas ad alium, qua in acceptione in l. 15. de verb. signific. *Questio est, fundus à possessione vel agro, vel prædio, quid distet? & respondet Jctus: Fundus est, omne quicquid solo tenetur. Ager est, si species fundi ad usum hominis comparatur. Possessio ab agro juris proprietate distat: quicquid enim*

A

appre-

apprehendimus, cujus proprietates ad nos non pertinet, aut nec potest pertinere, hoc possessionem appellamus. Possessio ergo usus, ager proprietatis loci est. Prædium utriusque supra scripta generale nomen est. quales possessiones olim erant stipendiaria & tributaria prædia. Theophilus ad §. per traditionem 40. Inst. de Rer. divisione & latius id persequitur Brisson. select. antiqu. l. 4. c. 1. Sic & fundus dotalis uxori ager, marito possessio erit. arg. l. 75. ff. de jure dotium, ibi: quamvis in bonis mariti dos sit, mulieris tamen est. Vel pro re quocumque modo possessa, v. g. pignoratâ. l. 8. C. de distract. pignor. ibi: priusquam pignorata possessio distraberetur. Quo ipso refelluntur, qui negant, possessionem unquam pro re possessa in Jure sumi.

§. III. Latè & improprie Possessio sumitur pro quacunqve rei detentione, quæ quidem vel non actualis est, vel actualis existit. Detentio non actualis consistit v. g. in jure proprietatis vel dominii, secundum quod rem ita detinemus vel in potestate habemus, ut res nobis jure alienari non possit l. id quod nostrum est. ii. ff. de reg. jur. Unde qui Dominus vel proprietarius est, rem habere dicitur, etiam, quando ablata est, & actionem tantum habet ad rem recuperandam l. 15. ff. de regul. juris. Hac ratione ipsa proprietates quæ talis vel dominium & possessio mutuâ vice funguntur. l. 4. Cod. de contrab. empt. ibi: intelligere debueras duplicari tibi titulum possessionis non potuisse, sed ex donatione & traditione dominium factum l. 5. C. de lib. caus. Peculiariter quidem in materia satisfactionis proprietarius vel dominus rerum immobilium sive simpliciter sive quoadantenus dominus sit, & licet actu non possideat, tamen possessor (vulgò in foro possessionatus) appellatur. l. 15. §. 1. ff. qui satisfacere cog. Possessor autem is accipiendus est, qui in agro vel civitate rem soli possidet, aut ex asse, aut pro parte. Sed & qui vectigalem i. e. emphyteuticum agrum possidet, possessor intelligendus est. Item qui solam proprietatem habet, possessor intelligendus est. Inde etiam fortè factum, ut prætor, cum crederet, se præter LL. 12. tabb. heredem & dominum facere non posse, successorem defuncti vice heredis à se declaratum, nominare voluerit Bonorum possessorem l. 1. 2. ff. de bonor. possess. Bonorum autem possessio, ut Lex 3 §. 1. eod. bene monet, non uti rerum possessio accipienda est, est enim juris magis, quàm corporis possessio. Et proinde §. 2. definitur
ita:

ita : quod sit jus persequendi retinendiq; patrimonii sive rei, quæ cuiusq; cum moreretur fuit.

§. IV. Quocunqve autem modo possessio nomine proprietatis veniat, nihil tamen proprietatis habet cum possessione commune, ut expressè determinat l. 12. §. 1. ff. de acqu. possess. ac quidem Montecatinus ad lib. 1. Pol. Arist. p. m. 247. eadem hæc esse vocabula contendit. Ex dispositione namqve l. 1. §. 2. ff. uti possidetis. Separata esse debet possessio à proprietate. Fieri enim potest, ut alter possessor sit, dominus non sit: alter dominus quidem sit, possessor verò non sit. Fieri potest, ut & possessor idem & Dominus sit, adeoque per l. 52. ff. de acqu. possess. possessio & proprietatis misceri non debent. Præterea & si dominium non pro nuda proprietate accipiatur, sed in latitudine & perfectione sua, quatenus & actualem vel naturalem possessionem, & usum fructum in se comprehendit, consideretur, (qua ratione Parladorius quotid. different. cap. 27. dominium proprietati contradistinguit) atq; sic dominus, qua parte dominus est, ea parte etiam actu possideat; non tamen & hac ratione eadem sunt. Nam uti in acquirendo possessio respectu Domini se habet, ut medium ad finem, vel ut antecedens & consequens §. ex his 4. Inst. per quas person. cuiq; acquir. ita acquisito dominio & in esse deducto, possessio pars integrans est, ut itaque dominium & possessio differant, tanquam totum & pars. Si quidem compositum est dominium, perfectè ita dictum, partim ex jure proprietatis, partim ex possessione &, per quem eadem sese exserit, usufructu, qui etiam hoc respectu expressè pars domini vocatur, l. 4. ff. de usufructu add. l. 25. §. 1. ff. de verb oblig. ibi: minus est in eo usufructu, quem per se quis promisit, quam in eo, qui proprietatem committatur. Unde quando cum usufructu possessio revertitur ad dominum, tunc secundum §. ult. Instit. de usufructu ex eò tempore nuda proprietatis dominus incipit plenam in re habere potestatem. Et Consolidatio domini vocatur si vel usufructus domino proprietatis cedatur vel ex contrario, si usufructuarius proprietatem rei acquisiverit §. pen. eod. Contra Montecatinum autem disputare, ac Hahnus ad Wesenbec. tit. de acquir. poss. numero VIII. contra eundem insurgit, vix opus est, cum Montecatinus ipse tandem contentioni viam præcludat lib. cit. p. 248. Verum scio, inquiens, etiam multas apud JCos significationes habere vocabulum utrumq;: ac si pariter ambo sumantur vel pressè vel latè, nil propemodum dissensionis superfore.

A 2

§. 5. Quan-

§. V. Quantum ad possessionem ex actuali detentione improprie sic dictam attinet, possidere improprie dicuntur omnes illi, qui rem nude & naturaliter sive corporaliter detinent, idque vel simplicis usus, vel custodiæ vel administrationis gratiâ, sibi autem non possident, sed alii, & in alterius possessione sunt vel alterius possessioni ministerium præbent. *Nec idem est, inquit Celsus l. 8. ff. de acq. poss. possidere & alieno nomine possidere. Nam possidet, cuius nomine possidetur.* Hoc modo possidere dicitur Colonus, depositarius l. 7. §. ii. ff. commun. divid. cum tamen proprie loquendo secundum l. 33. §. i. ff. de usucap. colonus nec vivo nec mortuo domino ullam possessionem habeat. *Rei item depositæ proprietatis apud deponentem manet, sed & possessio l. 17. §. i. ff. depositi.* Commodatarius possessor audit per l. Nam cum 4. ff. ad exhibend. licet aliàs secundum l. 8. ff. commodati. *Rei commodatæ & possessionem & proprietatem retineamus.* Servus naturaliter possidet. l. 38. §. 7. ff. de verbor. oblig. qui tamen, cum possideatur, nil possidere potest. l. 23. §. i. ff. de acq. poss. Et procurator possidet, dum ut l. 18. ff. de acq. poss. ait, *alienæ possessioni præstat ministerium.* Denique qui ex primo prætoris decreto in possessionem missi sunt, hæcenus quidem possidere dicuntur, verè tamen non possident. Ita enim Paulus in l. 3. §. fin. eod. ait: *Quod autem Quintus Mutius inter genera possessionum posuit, si quando jussu Magistratus rei servandæ causa, vel quia damni infecti non caveatur, possidemus, ineptissimum est, nam qui creditorem rei servandæ causâ, vel quia damni infecti non caveatur, mittit in possessionem, vel ventris nomine, non possessionem, sed custodiam rerum & observationem concedit.* Nec ullus ex his aliquo interdictione tuendæ possessionis gaudet.

§. VI. Strictè & proprie sive verè Possessio accipitur pro actuali detentione, contradistinctâ proprietati quâ tali, & nudæ atq; simplici detentioni, quâ ita actu rem aliquis sibi detinet vel possidet ut alius actu eandem detinere vel possidere non possit, prout possessio verè sic dicta sæpius voce detentionis indigitatur. v. g. l. 5. ff. de impensis in res dotal. ibi: *manebit igitur maritus in rerum detentionem l. un. C. de usucap. transform. ibi: ut in omnibus justo titulo possessoris antecessoris justa detentio.* dicitur etiam Detentatio l. 15.

l. 15. §. 3. ff. ex quib. caus. maj. ibi: inchoata bonæ fidei possessoris detentatio. unde Paulus l. 1. ff. de acq. poss. refert, quod Græci possessionem dicant κατοχήν, quæ vox aliàs detentionem significat. Ut autem actualem detentionem vel possessionem denotet, ideo addit allusionem loco etymologiæ: Possessio appellata est à pedibus (secundum Florentinam, à sedibus) quasi positio (pedum scilicet vel sedium) quorsum utraqve lectio admitti potest. arg. l. 3. §. 3. l. 18. §. 2. eodem tit. Et hæc possessio nostri est instituti, cujus naturam venabimur.

§. VII. Cœterum nec possessio in stricta hac significatione est uniusmodi. Alia namqve est possessio, qua animo vel opinione domini ex titulo domini translativo rem detinemus, qualis est ipsius domini, *l. 22. §. 1. ff. de noxal. action. item bonæ fidei possessoris l. pen. C. de furtis ibi: bonæ fidei possessor domini cogitatione possidet.*

§. VIII. Alia est, quando citra animum domini, ex justa quadam causa, scilicet ex concessione domini vel proprietarii possidemus, quomodo v. g. possidet Vasallus *c. un. §. 2. 2. Feud. 8. ibi: Quamvis possessio per beneficium ad eum pertineat, tamen proprietate ad aliam spectat. Item Emphyteuta l. 15. §. 1. ff. qui satisfacere cog. junct. §. 3. Instit. de locat. & conduct. & usufructuarius l. ult. ff. uti possidetis. Item Creditor, traditum à debitore pignus in securitatem debiti detinens l. 35. §. 1. ff. de pignoratitia act. ibi: pignus, manente proprietate debitoris, solam possessionem transfert ad creditorem. Sic & qui precario rogavit, ut sibi possidere liceat, possidet. l. 15. §. 4. ff. de precario.*

§. IX. Alia possessio est ejus, qui ex injusta causa sibi possidet, qui mala fide, qui vi, clam, vel precario possidet, & justum possessorem, vel qui possidendi jus habet, admittere non vult, sed ereptam possessionem detinet, cum & ejusmodi possessor hætenus verè possideat, *l. 1. §. ult. l. 2. ff. uti possidetis. Quoniam, ut habent verba l. 3. §. 5. v. idem Trebatius: in summa possessionis non multum interest, justè quis, an injustè possideat.*

§. X. Enumeratos hos possessores nomine quidem convenire, sed quoad rem ipsam non æqualiter possidere, & quidem eorum possessionem propter dependentiam & participationem secundum

prius & posterius, vel secundum magis & minus dici, quivis haud
difficiliter videre potest. Qui enim § 7. animo atque opinione do-
mini possident, v. g. pro suo, pro emptore, pro donato, pro legato
& ex similibus titulis translatis, illi magis ac coeteri omnes possi-
dent. Imo possident maximè propriè vel propriissimè, simpliciter
& absolutè, adeò ut hujus possessionis intuitu, secundum quam pos-
sident, expressè in l. 3. §. 21. ff. de acquir. poss. dicatur: *Magis unum
genus est possidendi.*

§. XI. Qui §. VIII. possidere dicebantur, illi secundum quid, ex
concessione domini, & propter participationem minus possident,
licet justè possideant, sicuti v. g. ad usum & utilitatem quandam
tantum rem domini possident, nec publicianâ actione, quæ bonæ
fidei possessori inter alia competit, gaudent. l. 13. §. 1. ff. de publicia-
na in rem act. *Interdum quibusdam nec ex justis possessionibus com-
petit publicianum judicium: namq; pignoratitiæ & precariæ posses-
siones justæ sunt: sed ex his non solet competere tale judicium. Illa
scilicet ratione, quia neq; creditor, neq; is, qui precariò rogavit, eo
animo nanciscitur possessionem, ut credat se dominum esse. Imò
respectu absolutè ita dictæ possessionis possidere negantur. v. g. Usu-
fructarius l. 10. §. fin. ff. de acquir. rer. dominio. *Usufructuarius u-
sacapere servum non potest: primùm, quia non possidet, sed habet
jus utendi fruendi: deinde quoniam scit servum alienum esse.*
Id quod ex paritate rationis ad Emphyteutam, Vasallum & cæteros
ejusmodi possessores pertinet. Quanto minus porro possidebunt
injusti possessores qui §. IX. recensebantur?*

§. XII. Adeo que patet, vocabulum Possessionis etiam in stri-
cta significatione non univocum vel Synonymum esse, sed æquivo-
cum, non equidem purè tale, sed eò æquivocationis modò, quem
aliàs ad unum aut ab uno (græcè *ὁμοῦς ἐν ἡ ἀφ' ἐνὸς* 1. Eth. 4.) vo-
care solemus. Ejusmodi namque vocabula commune quidem ha-
bent nomen, verum non communem conceptum, naturam aut de-
finitionem rectâ supra species positam, aut omnibus significatis vel
speciebus æqualiter competentem, qualem communitatem habent
Synonyma; sed nec parem homonymorum diversitatem habent.
Siquidem Synonymis communitas quædam suppetit, quatenus ea
sunt

sunt, quæ dicuntur, quoniam illius rei una est natura; in homonymis sive æquivocis communitas quodammodo videtur, à qua existentiam, vel in quam relationem quandam habent, dum vel ab uno communi principio dependent, deqve eo participant, vel ad unum communem finem reducuntur, uti v. g. in Ethicis amicitia est, in jure probatio. De utraque rectè Bachovius ad Treutl. vol. 2. disp. 4. th. 2. B. ita sentit: *Potest sanè dici, quod probatio sit ex eorum generum numero, quæ Dialectici appellant homonyma ἁπλοῦς ἐν, quia non ex æquo competunt suis speciebus, velut amicitia dividitur in perfectam & imperfectam, & amplius probatio & absolute & ad effectum juris, quod utiq; aliquid probavit, qui unum testem produxit, licet quoad effectum condemnandi nihil egisse videatur. itè Culpa &c.*

§. XIII. Porro & per consequens, si ita res se habet, dispalescit, Possessionem unâ definitione propriè dicta comprehendendi non posse, imo id planè impossibile esse, cum præsertim, ut supra innuit, ii, qui aliàs verè possidere dicuntur, rursus non possidere dicantur. Quemadmodum id tralatitium est, & in Philosophia ex professo docetur, ejusmodi communita ab uno vel ad unum defini non posse. Idem ex multis intellexit Bachovius ad Treutl. vol. 2. disp. 21. th. 1. lit. B. *Verbum Possessionis, in genere sumptum, vix videtur admittere commodam definitionem.* Inde est, quod in jure nulla reperiatur possessionis definitio, annotante id *Contio 1. disp. 9.* sed quod juris auctores loco definitionis rudi descriptione vel etymo aut allusione contenti fuerint, nec peritissimi, teste *glossâ ad l. 38. §. hoc quoq; ff. de verb. oblig.* ausi fuerint possessionem definire.

§. XIV. Exinde simul videre est, quam frustra hæcenus laboraverint omnes illi, qui generalem definitionem possessionis invenire, eamqve in duas species dividere voluerunt; quantum vitium ἀπαιδευσίας in specie Φιλοσοφίας inciderint; tum in quot controversiis & difficultates circa definitionem possessionis sese conjecerint, prout *Bartolus tres glosse definitiones, Angelus definitionem Bartoli, Johannes de Immola definitionem Angeli & alii Johannis de Immola & porro alter alterius definitionem improbarunt, & mutuis rebus corruerunt, ut annotavit Obrecht. disp. 25. c. 2. n. 42.* quæ circa possessionis definitionem generalem concitata controversiæ & difficultates nos amplius non angunt, sed Aristotelicâ Methodo, quam sectamur

sectamur, tanquam gladio Alexandrino dissolvuntur. Deniq; etiam conspicimus, quam insigniter ab universali primo hac in materia aberraverint, qui prædicata tam essentialia, quam extraessentialia de communi quadam definitione vel natura possessionis docere voluerunt.

§. XV. *Vinnium* sanè, quod omittendum non est, satis mirari non possumus. Iste aliorum *Φιλοσοφίας* in definienda possessione agnovit, quando *lib. 2. quest. Select. cap. 36.* rectè ait: *Varii variis modis definire conati sunt, quid sit possessio: sed nimium scrupulosi fuerunt, & pleriq; in hisce definitionibus in vitium illud inciderunt, quod Galenus *Φιλοσοφίας* (legendum fortè *Φιλοσοφίας*) appellat, quasi libidinem & nimium amorem in definiendo; Agnovit porro & hoc, quod definitio omnes species complecti debeat, easq; multas habeat possessio, cum alia sit civilis, alia naturalis; alia justa alia injusta, alia corpore, alia jure constans, & quod idcirco maluerint olim peritissimi homines à definitione abstinere. Attamen è vestigio relabitur in id, in quo alios culpavit. Quid ergo? inquit, annon potest dari, plena & perfecta possessionis definitio, quæ species ejus omnes complectatur, atq; ut in scholis loquuntur, quæ cum suo definito reciprocetur? & respondet, quod etiam ex professo agit: *Ajo enim vero: nam quod difficile est, non utiq; & impossibile. Quamobrem ut mori publico satisfiat, eam hoc modo definitio: Possessio est rei corporalis detentio, cui inest affectus vel proprio vel alieno nomine tenendi. Sed tantum abest, ut perfecta sit hæc definitio, ut potius primo intuitu vitiosa appareat. Præterquam enim, quod suam definitionem mediante conjunctione disjunctiva ad duas res diversas accomodaverit. quod omnino in vera definitione reprehensibile est 6. Top. 7. §. 6. siquidem definitio oratio est unum quid significans. lib. de interpret. cap. 4. 2. post 10. quod maximum est, τὸ alieno nomine tenere improprie plane dicitur possidere, ut supra §. V. dictum est. Impropria autem sub definitione comprehendi non debent. Et qui verè possidet, proprio tantum nomine possidet. At veram & improprie sic dictam possessionem definitione una comprehendere velle, foret idem, ac unâ definitione dicere, quid ens & non ens sit, quod absurdum est. Non dicemus, quod ipse affectus tenendi in ipsa detentione sit involutus; nec cætera tangemus, quæ ad plenam & perfectam definitionem requiruntur**

runtur. Id quidem admittendum fuisset, si loco generalis descriptionis veræ possessionis significata, vulgò species, enumerasset. Multo enim melius dicunt, qui enumerant in ejusmodi communibus ab uno omnes species, quàm qui definiunt. *Arist. I. Pol. c. 13.* Neque rem acu tangunt, qui definiunt, quod *possessio sit detentio rei animo eam sibi habendi*. Siquidem prorsus æquivoca est & hæc definitio. Non tantum enim *ῥὸ Habere* secundum l. 188. ff. d. verb. signif. *duobus modis dicitur: altero jure dominii, altero obtinere sine interpellatione.* sed etiam pluribus aliis modis, qui simul continentur in L. 2. §. 38. ff. *ne quid in loco publico. Habere eum dicimus, qui utitur & jure possessionis fruitur, sive ipse opus fecit, sive ex causa emptionis vel conductionis vel ex legato, vel hereditate, vel quo alio modo acquisivit.* Cum hæc ita sese habeant, mori illi publico sive communi, vel potius vulgari, qui omnia æquè vult definire & quem nimis æstimavit Vinnius, satisfieri non debet. Ille enim perversus est, & contra rationem docendi in hac & simili materia; nec legis firmitatem obtinere debet. *Malè enim adinventæ, malèq; consuetudines, neq; ex longo tempore, neq; ex longa consuetudine firmantur. Novell. 134. cap. 1.*

§. XVI. Sed licet possessio unâ definitione comprehendî non possit, est tamen alia ratio, quâ ipsius natura, loco definitionis, patefieri possit, quâ quidem uti solent scientifici doctores in ejusmodi materia ac præsens existit. Scilicet primo loco princeps significatum possessionis, vel ejus perfectissima species ita dicta, erit exactè definienda, ipsiusque proprietates ostendendæ. Hæc erit mensura reliquarum, secundum quam cæteras ita dictas species metiri poterimus. Id siquidem est, quod vulgò in libellis nostris logicis dici solet: *Primum analogatum stat pro omnibus analogis.* Nam ex definitione primæ & perfectissimæ speciei, quæ primò & maximè per vocabulum possessionis significatur, de reliquis subsequentibus & inferioribus isto vocabulo significatis speciebus judicare poterimus. Quò propius enim ad definitionem primæ & principis possessionis per dependentiam & participationem accedunt, vel quo magis ab ea abeunt, eò magis quoque vel minus propriè vocabulo possessionis dici possunt. Ex hisce tandem tota possessionis natura satis pate-

B scet.

scet. Si quis autem nobis obvertere velit, ejusmodi tractationem, redolere antiquam illam methodum Aristotelicam, usu amplius apud JCtos non frequentem. Illis opponemus Duarenum facile principem Juris interpretum, qui in epistolico suo tractatu de ratione juris docendi graviter ita judicat: *Fieri non potest, ut sine ea methodo, quam Aristoteles, Galenus & alii eruditissimi viri docuerunt, quæq; in scriptis suis usi sunt, quicquam recte doceatur.* Similiter ad Statuta nostræ Academiae provocabimus, quæ Aristotelis Organon & docendum & sequendum receperunt. Quantum ad vetustatem hujus methodi pertinet, accommodabimus responsioni verba *l. 2. ff. de aqua & aquæ pluv. Vetustas semper pro lege habetur, minuendarum scilicet litium gratiâ.* Ab usu si recessit Aristotelica methodus, in eundem revocanda est. Nostra vero Academia sibi gratulari poterit, quod illa methodus hîc loci in summo existat flore, & ab omnium Facultatum Doctoribus adametur atque feliciter usurpetur.

§. XVII. Ut ergo propositam rationem tractandi prosequamur, videndum est, quæ perfectissima atque primaria sit possessio. Constat autem, possessionem aliam esse *Civilem* aliam *Naturalem*, ex quibus una principem & perfectissimam denotabit. Atque cum civiliter, item naturaliter possidere *non uno modo* dicatur, ejus acceptiones discernendæ erunt, id quod simul ad explicandos multos nodos, materiamq; illustrandam proderit.

§. XVIII. *Respectu modi possidendi vel persona possidentis* Civiliter dicitur possidere is, qui animo solo retinet possessionem, & quasi actu primo tantum possidet, *id est, ut, quamvis neque ipse sit in possessione, neq; ejus nomine alius, tamen si non relinquenda possessionis animo, sed postea reversurus inde discesserit, retinere possessionem videatur §. 5. Instit. de Interdictis.* Naturaliter autem, qui non solo animo, sed etiam corpore incumbit possessioni & actu etiam secundo possidet. Et in hac significatione in *l. 1 ff. de acq. possess.* generatim de possessione dicitur, *quod naturaliter teneatur ab eo, qui ei insistit.* Quæ animo retinetur, ideo quidem civilis dicitur, quod jus civile eam tueatur, & pro actuali possessione habeat. Id namque per *l. 10. Cod. de acquir. possess.* indigitatur: *Nemo ambigit possessionis duplicem esse rationem, (scilicet quoad modum possidendi) aliam, que*

re con-

re consistit; aliam que corpore add. l. 4. eod. l. 1. §. 25. ff. de vi & vi arm.
Sed de modo possidendi non hic sumus solliciti.

§. XIX. *Respectu Essentia*, quam quærimus, possessio civilis & naturalis rursus variè dicitur. Primo loco, ut ab infimo gradu procedamus, *Civilis* possessio est, quæ secundum jus civile hæctenus verè & non impropriè talis est, quam denotavimus suprâ §. VI. *Naturalis*, quæ est nuda & corporalis detentio, & impropriè sic dicta Possessio. quemadmodum obligatio civilis, quæ producit aliquam actionem aut exceptionem verè & propriè obligatio est; Naturalis autem propriè in legibus obligatio non est. l. 16. §. 3. ff. de fidejussoribus ibi: *licet minus propriè debere dicantur naturales debitores, per abusivem intelligi possunt debitores.* Hæc acceptio reperitur in l. 2. §. 1. ff. pro herede. *Quod vulgo respondetur, causam possessionis neminem sibi mutare posse, sic accipiendum est, ut possessio non solum civilis (quæ secundum jus Civile verè talis est) sed etiam naturalis, (nuda & corporalis, impropriè quidem sic dicta) intelligatur.* Quod vero naturalis in hoc sensu accipiatur, id ex subsequentibus patet: *Et propterea responsum est, neque colonum, neque eum apud quem res deposita, aut cui commodata est, lucri faciendi causa pro herede usucapere posse.* Hi enim nudi tantum naturales detentores sunt, & impropriè sic dicti possessores. Admuniculatur & l. 38. §. 7. ff. de verbor obligat. ibi: *quamvis jure civili servus non possideat, tamen ad possessionem naturalem hoc referendum est.*

§. XX. Porro in secundo quasi gradu *Civilis* possessio dicitur omnis illa, quæ justa est ex qualibet causâ possidendi legitimâ. *Naturalis*, quæ contra leges est, vel quam jus Civile non approbat. v. g. Maritus, qui rem à muliere illicitè donatam, vel mulier quæ rem donatam à marito possidet, naturaliter possidet, & non civiliter l. 26. ff. de donation. inter virum & uxor. ibi: *licet illa jure civili possidere non intelligatur.* unde pro possessore possidere dicuntur in l. 16. ff. de acquir. poss. sic & quilibet injustus possessor, qui v. g. legitimam possessorem dejicit, aut revertentem repellit, corporalem possessionem habere dicitur in l. 25. §. 2. ff. de acq. possess.

§. XXI. Tandem tertio & in supremo gradu dicitur *Civilis* possessio, quâ non ex quacunqve justa causa, sed præcise ex titulo ad transferendum dominium habili, idque animo domini possidemus.

mus. Sic v. g. dominus servi peculium per servum civiliter possidet l. 24. ff. de acq. poss. ibi: *peculium quod servus civiliter quidem possidere non posset, sed naturaliter tenet, dominus creditur possidere.* E contrario naturaliter possident omnes illi possessores, qui tali titulo translativo, & animo domini destituti sunt, vel citra animum domini possident, licet forsan aliam justam possidendi causam habeant, v. g. *Naturaliter*, ut habent verba l. 12. ff. de acq. poss. *videtur possidere is, qui usumfructum habet.* Ut usufructuarius, item Emphyteuta & Vasallus, qui aliàs verè justèq; possident, sup. §. VIII. Et hoc respectu inque hac acceptione videtur sibi quoque opponi civiliter & naturaliter possidere, in l. 1. §. 9. ff. de vi & vi armat. *Dejicitur is, qui possidet sive civiliter sive naturaliter possideat.* Quod autem Citius per *τὸ* civiliter, animo domini; & per *τὸ* naturaliter citra animum domini possidere intelligat, id ex subsequentibus patet, quando ait: *nam & naturalis possessio ad hoc interdictum pertinet*, per quam non intelligit nudam & corporalem detentionem, secundum quam & colonus, depositarius, servus naturaliter possidere dicuntur. Hi enim planè ad hoc interdictum non pertinent, quemadmodum expressè colonus statim excluditur. ibi: *non tamen colonus.* Ergo à contrario sensu relinquitur, quod qui citra animum domini, sive justè sive injustè possident, naturaliter hinc possidere, & ad hoc interdictum unde vi pertinere intelligantur. v. g. uxor, cui maritus fundum illicitè donavit, per vim à possessione dejecta §. 10. dict. leg. quæ animo domini, sicque civiliter sive jure civili possidere non potest. l. 26. ff. de donationibus inter vir. & uxor. Ad hanc acceptionem quoque pertinet oppositio naturalis & civilis possessionis in l. 3. §. 1. ad exhib. *Sciendum est, adversus possessorem hac actione agendum, non solum eum qui civiliter (i. e. animo domini, ut bonæ fidei possessor) sed etiam qui naturaliter (citra animum domini & quocunque modo) incumbat possessioni.* unde addit: *denique creditorem, qui pignori rem accepit, (qui utiq; verè & justè possidet, citra animum domini tamen, & hætenus naturaliter possidet).* Civilis hæc possessio κατ' ἐξοχήν Civilis dicitur, ideo quod jus civile eam maximè respiciat & pro possessione simpliciter & absolute tali, & propriissima habeat, eaque virtutibus suis & effectibus omnes
alias

alias vincat., siquidem per illam ipsam rei proprietatem obtinere valemus, ut infra patebit. Et hæc *Civilis* principem illam & perfectissimam possessionis speciem, quæ cum animo domini conjuncta est, designat.

§. XXII. Exinde statim conspicimus, (uti rursus obiter monendum est) quod civilis, item naturalis possessio unâ definitione comprehendi non possit, quemadmodum frustra multi laborarunt, & inde variè hanc doctrinam confuderunt; quod item possessio neque in ultima acceptione dividi possit, ut multi faciunt, in civilem & naturalem, tanquam species propriè ita dictas, idque non tantum ideo, quia generalis definitio non datur, sed etiam quia hæc divisio potius distinctio est, sive divisio æquivoci in sua æquivocata, vel (ut alii minùs quidem congruè loqui amant) analogi in sua analogata. Adstipulatur nobis *Contius lib. 1. disp. cap. 9. Dividitur, inquit possessio in naturalem & civilem. Sed hæc nominis potius divisio est* κατ' ἀναλογίαν, quam rei, quia sola civilis possessio possessio propriè (i. e. absolutè propriè vel propriissimè) dicitur in jure nostro. Naturalis autem possessio est possessio secundum quid, non possessio simpliciter. Ex neglectis illis differentiis civilis & naturalis possessionis maximè eos errores, qui ab interpretibus in hac doctrina commissi sunt, extitisse putat supra citatus *Jctus à Salis in Sicilimentis ex toto jure collectis ad rubr. tit. ff. de acq. poss. Ausim enim affirmare, inquit, nullam esse in toto jure materiam; in qua aut gravius aut fixius hallucinati sint veteres Interpretes, idq; potissimum evenisse animadverto, quod discrimen inter possessionem naturalem & civilem ignoraverint. Quanquam & ipse ibidem differentias non ostenderit, sed Tuldenus ad Cod. eod. tit. nobis aliquò modo manus porrexerit.*

§. XXIII. Cum itaq;ve *Civilis possessio*, quæ ex titulo oritur translativo, prima, princeps & perfectissima sit Species, & possessio simpliciter & absolute talis, ideo ejus naturam & perfectam quidem definitionem investigabimus. Perfecta autem erit, si ejus Causas invenerimus, uti etiam *Goeddeo asserente ad l. 49. ff. de verb. Signif. n. 9. legitima definitio constat ex solis causis essentialibus.* præprimis inquirere oportet, quam ob causam, aut quem in finem

existat possessio, ut & Galvanus idem alibi animadvertit tract. de Usufructu cap. XI. p. m. 92. *Illud, inquit, accuratius indagare oportet, quam ob causam inducta fuerit prescriptio. hinc enim potissimum intelligitur vera ejus substantia. Quare sequenti modo progrediemur.*

§. XXIV. Certum est, hominem & ad vivendum & ad bene vivendum multis indigere mediis. *non enim possibile est vivere sine alimento.* Arist. 1. Pol. 8. & quæ præterea ad id simili ratione pertinent, qualia media simpliciter necessaria sunt. Inter media ad bene vivendum homini necessaria inter alia bona externa sunt res vel bona, tam mobilia, quam immobilia quæ ad bene vivendum sunt utilia, idque tum in societate domestica, tum civili. Aristot. cit. loc. ibi: *Quorum est comparatio vel acquisitio rerum in vita necessariorum & utilium ad societatem civitatis & domus. Fieri enim non potest, inquit idem 1. Eth. 7. vel non facile sit, ut cui necessaria non suppetunt, is bona atque honesta agat.* Unde bona, opes & divitiæ etiam ad vitam illam perfectam, in qua homo secundum virtutem agere vult & debet, requiruntur 7. Pol. 1. Hujus rei intuitu quod scilicet bona prosint ad beatitudinem Ulpiano videtur nata illa allusio vocabuli bonorum in l. 49. ff. de verb. signif. *Naturaliter bona ex eo dicuntur, quod beant, hoc est, beatos faciunt. beare est prodesse.*

§. XXV. Hac ratione quam maximè utitur homo bonis vel rebus. Ut vero uti & frui iisdem possit, necesse est, ut res utendas possideat, hæc enim sese ita respiciunt & connexa sunt, ut dicatur in l. 52. ff. de acq. poss. *impediri possessionem, si alius fruatur, neque alterius fructum computari, si alter possideat.* Planè qualiscunque usus non sufficiens erit ad hunc finem.

§. XXVI. Usus siquidem rei alicujus est vel *liberrimus* sive absolutus vel *circumscriptus*. *Liberrimus* sive *absolutus* includit omnem omnino rei usum in specie ita dictum, & omnem fructum vel proventum, qualis usus & fructus proprietatem comitari dicitur *sup. all. l. 25. §. 1. ff. de Verb. Oblig.*

§. XXVII. Ut liberrimi hujus usus latitudinem secundum suas partes vel species intelligamus, & quomodo ex defectu alicujus partis usus oriatur circumscriptus dispiciendum est, quotuplex sit usus.

Usus

Ufus rei equidem vel est per se, vel ex eventu & accidenti talis. Ufus rei per se rursus duplex est, idque tam secundum nostras leges, quam secundum Aristotelem 1. Pol. 6. Scilicet unus, qui suus & proprius est, cujus gratia res quaeque existit, vel facta est. v. g. calcei inductio in pedes. Alter non suus sive non proprius veluti calcei permutatio: Uterque enim calcei usus est. Nam qui cum eo, qui calceo opus habet, permutat pro pecunia vel cibo, utitur calceo, qua calceus est, sed non suo usu: neque enim permutationis causa factus est. Sic servi usus suus est, ut domino in victum vel rem familiarem promovendam serviat; non suus est, si dominus servos ideò habeat, ut vendat & in negotiationis materiam illos adhibeat. id docet Alphenus in l. 203. ff. de Verb. signif. In lege Censoria, inquit, portus Siciliae ita scriptum erat: Servos, quos domo quis ducet suo usu, pro his portorium ne dato — Quid autem esset usu suo magnam habuisse dubitationem & magis placet, quod victus sui causa paratum est, tantum contineri. Itemque de servis eadem ratione queri, quae eorum usus sui causa parati essent. --- Omnes denique servos quos quisque emisset, ut ipse haberet, atque eis ad aliquam rem uteretur, neque ideò emisset, ut venderet. Quare venditio est usus servi non suus, vel non proprius. Sic & auri, argenti, vestis, suppellectilisque omnis usus suus est ad victum haec omnia parata habere: non suus, eadem v. g. commodare vel elocare ad ludos vel coeteras apparationes l. 28. ff. de auro argent. leg. Cum in testamento alicui argentum, quod usus sui causa paratum esset, legaretur, itemque vestis, aut suppellex: quaesitum est, quid cuiusque usus causa videretur paratum esse: utrum ne id argentum, quod victus sui causa paratum paterfamilias ad quotidianum usum parasset: an & si eas mensas argenteas, & ejus generis argentum haberet, quo ipse non temere uteretur, sed commodare ad ludos, & ad coeteras apparationes solere? Et magis placet, quod victus causa paratum est, tantum contineri. Ad usum per se suum vel proprium pertinet omnino rei fructus, ut agri, animalium §. 37. Instit. de Rer. Divis.

§. XXVIII. Ufus rei ex eventu vel accidenti est varius. v. g. mensae usus ex eventu esse potest in foco, ut materia suppeditetur igni, item ut baculus inde conficiatur. Sic calcei usus ex accidenti esse

esse potest, ut serviat ad verberandum; ocreæ, ad aliquid in ea con-
dendum *Giphan. ad lib. 1. Arist. Pol. c. 6.* ita servi, auri aliarumque
rerum utilium usus ex accidenti erit, si, verbi gratiâ, eas alteri done-
mus, vel legemus, aut plane iisdem abutamur. Id enim per se ne-
mo utendo intendit. Similiter partus ancillæ *ex accidenti* ad usum
absolutum pertinet, quatenus naturalis fructus & pars quasi ventris vel
accessorium ancillæ est, nec enim *per se* ancillæ tanquam usu suo vel
proprio ad pariendum comparantur l. 26. ff. de hereditatis petitione,
ibi: *quia non temere ancillæ ejus rei causa comparantur, ut pariant,
augent tamen hereditatem.* Unde cum ad Usum vel fructum rei
propriû partus ancillæ non pertineat, sed & hætenus id inconueniens
sit, cum animalium aliarumque rerum fructus per se & naturâ homi-
nis gratia sint. 1. *Pol. 6.* Ideo Imperator non adeo ineptè dixit in
§. 37. *Inst. de rerum divisione Partus verò ancillæ in fructu non est. Ab-
surdum enim videbatur, hominem in fructu esse, cum omnes fructus
rerum natura gratiâ hominis comparaverit.* Quo pacto controversia
de fructu ancillæ exitum sortiri potest. Qui itaq; omnem enarratum
usum exercere potest, ille absolutum & liberrimum rei habet usum.

§. XXIX. *Usus circumscriptus*, qui & minus plenus, *dimi-
nutus & conditionatus* vocari posset, is jam erit, si quis rei habeat vel
usum simplicem, qui ad suum & proprium pertinet, qualis in preca-
rio & commodato conspicitur; vel etiam omnem rei fructum & u-
sum præter alienationem & abusum, rei substantiam diminuentem,
quali usu v. g. Emphyteuta, Vasallus & Usufructuarius gaudet, *tot.
tit. ff. de Usufructu.* vel aliquem fructum cum simplici usu ad quoti-
dianam tantum necessitatem sustineat, qui usus speciali nomine ser-
vitudinis rusticæ ita dicitur, in usuarium cadit. *tot. tit. ff. de Usu.*

§. XXX. Jam verò quarundam rerum ad vitam necessaria-
rum usu potiri non possumus, nisi easdem simul consumamus, ut sunt
e. g. vinum, oleum, frumentum, vestimenta & similia §. 2. *Instit. de
Usufructu.* Ut ergò, qui uti iisdem vellet, eadem tanquam propria
haberet, ita ut alius eadem pro suo beneplacito ad usum dirigere
invito Domino non posset, naturalis ratio ex ipsa necessitate decre-
vit, cum aliâ indigentia humana sublevari non posset.

§. XXXI. Porrò cum homo ad benè vivendum, ad expedien-
das actiones ex virtute præclaras bonis & quibus tanquam medijs
atque

atque instrumentis indigeat, ut supra quoque dictum, utique & ea propter necesse fuit, ut si non omnes res sibi utiles secundum omnem usum, sed tantum ad quendam possidere posset; quasdam tamen rursus ut proprias, & in dominium ad omnem & liberrimum usum haberet. aliàs neq; hanc indigentiam explere posset, sed sufficientiã rerum ad finem bene vivendi necessariorum destitutus esset, & vel nullatenus vel non perfecte & commodè eundem obtineret, neque voluptate ex virtuosis actionibus frueretur. Quemadmodum v. g. nec justitia, nec liberalitas, quæ nobilissimæ sanè vitæ beatæ partes sunt, locum habere posset. Hoc persequitur latius Arist. 2. Pol. 5. quorsum & hæc pertinent: --- *Atqui & largiri & opem ferre amicis & hospitibus & familiaribus dulcissimum est. Quod fit si propriae sint facultates.* E contrario tollitur opus liberalitatis circa res possessas, neq; enim discerni poterit liberalis, neq; liberalem operationem faciet ullam. Nam in usu earum rerum, quæ ipsi possidemus, liberalis est opus.

§. XXXII. Communio sanè & usus rerum communium non admittit liberrimum illum usum & liberam dispositionem, siquidem quando & alius pro beneplacito re meâ uti vellet, ego ipsum ab usu excludere non possem. Potius communio querelas excitat & discordias, civitatiq; perniciosa existit, quod fusius Arist. tractat. *cit. loc.* cujus rei & communio inter paucos documentum præbet l. 77. §. 20. ff. de legatis 2. l. 26. ff. de servit. præd. urb.

§. XXXIII. Ut ergò homo à naturâ destinatus, & naturâ suâ aptus natus est ad civitatem, desiderioq; naturali in societatem civilem ad bene beatèque vivendum fertur, & proinde naturâ animal civile est. l. 2. ff. de legibus. ibi: τῶν φύσει πολιτικῶν ζῴων. eorum quæ naturâ civilia sunt animantium. it. Arist. 1. Pol. 2. ita ex naturali desiderio, pro amore, quo seipsum maxime amat, proprium quid habere gaudet. Est sane inenarrabile, quantum interfit ad voluptatem, considerare aliquid esse proprium. non enim frustra quisq; ad se amicitiam habet. est vero id naturale. Arist. 2. pol. 5. Porro, ipsa naturalis ratio hominis constituit, ut proprietas vel dominium tanquam necessarium & justum medium ad finem rerum humanarum existeret. Quod jus naturale uti cum ipso humano genere proditum, apud omnes gen-

C

tes

tes secundum naturam hominis viventes peræquè servatum est. Unde ergò & prudentia legislativa id in Civitate Romana per leges firmavit, l. 1. ff. de acquirendo rer. dom. atq; ut sic sua quisq; rei moderator & arbiter esset l. 21. C. mandati.

§ XXXIV. Communicationem autem rei suæ dominantis virtuti, humanitati atq; amicitia Legislator reliquit, an vel gratis an vero pro quadam remuneratione, mercede, aut usura aut alia quadam præstatione vel officiorum aut operarum, alteri usum secundum hanc vel illam speciem concedere vellet. Unde commodatum, precarium (quod genus liberalitatis ex jure gentium descendit l. 1. §. 1. ff. de precario) item usufructus, Emphyteusis, Feudum, Usus, habitatio, locatio, mutuum & alia ejus generis in republica vigent.

§. XXXV. Jam ergo porro palam fit, quod si quis re liberrimè uti desideret, ipsum oporteat rem, ut propriam, non tantum habere, vel jus proprietatis fovere, sed etiam ipso actu detinere sub sua potestate, quo omni tempore & quomodo libuerit eadem uti potis sit, & proprietatis non otiosa & frustranea existat. Tunc enim demum aliquis non tantum rem habet, sed etiam possidet. Possidere verò non ab usufructu quidem, quæ servitus tantum est, separari potest, d. l. 52. ff. de acq. poss. Quantum enim ad rem esse possessionis pertinet, eam rem facti, non juris esse ipsa jura docent. l. 1. §. 3. ff. de acq. poss. it. l. 19. ff. ex quib. caus. maj. ibi: *Possessio plurimum facti habet.* itaque in actuali detentione posita est. Atque cum omnis possessio quoad essentiam suam sit actualis detentio, licet magis perfectè uni quam alteri & sic inæqualiter insit, ante omnes alias ita dictas species civilis & princeps possessio erit *actualis detentio.*

§. XXXVI. Quare qui rem, ut propriam, actu detinet, ut quidem primarius possessor ita possidet, ille non ob alium finem quam propter liberrimum & absolutum usum rem detinet, quem in finem etiam nata possessio est, & exercetur. Sed licet ad hunc liberrimum usum etiam rei abusus per accidens pertineat, non eò tamen libertas illa utendi extendenda est, ut in turpem perniciosamque licentiam diffundatur. Id enim contrariaretur ipsius usus finis, qui erat actio secundum virtutem. Unde præclare monetur in §. 2. Inst. de his qui sui vel. al. *Expediit Respublica, ne suâ re quis malè utatur.*

§. XXXVII.

§. XXXVII. Qui ita actu rem, ut propriam, detinet, ille in legibus dicitur *animo, opinione, vel cogitatione* domini possidere, quâ ratione tam ipse Dominus in l. 22. pr. §. 1. ff. de noxalibus actionibus. quàm Bonæ fidei possessor in specie ita dictus possidet, l. penult. Cod. de furtis ibi: *bonæ fidei possessor cogitatione domini possidet.* Uti è contrario alius etiam justus possessor, qui rem non ut propriam possidet, dicitur *non animo domini* possidere, id est, ut credat sese dominum esse l. 13, §. 1. ff. de publ. in rem act. ibi: *neq; creditor eo animo nanciscitur possessionem, ut credat se dominum esse.* Unde & Teophil. ad §. idem placet. Instit. per quas personas cuiq; acq. similiter dixit, quod possessio sit $\psi\upsilon\chi\eta\ \delta\epsilon\alpha\omega\acute{o}\zeta\omicron\nu\lambda\ \&\ \nu\epsilon\mu\epsilon\delta\alpha\iota$ i. e. animo dominantis possidere. §. Eclog. Basil. 50. 2. cap. 60. $\text{Νομὴ ἐστὶ ψυχῆ δεαωόζουτ & κατοχῆ. possessio est animo dominantis detentio.$ Hunc loquendi modum quoque Dd. communiter usurpant, ut dicant *possidere esse animo domini detinere*, quod & nos retinebimus.

§. XXXVIII. Non tamen rem, ut propriam, vel animo domini detinere, est simulato aut affectato animo domini detinere. Nam id æque agit malæ fidei possessor, & qui pro possessore, vel ut prædo, possidet. Quare verus animus adsit necesse est. Verus autem erit animus domini, si possessor ex causa, unde dominium acquiri potest, persuasum sibi habeat, aut credat, sese rei possessæ dominum esse. Quot enim sunt causæ acquirendi domini, tot etiam sunt causæ vel tituli possessionis acquirendæ, quæ magna ex parte enarrantur, in l. 3. §. 21. ff. de acq. possessione. *velut possidere pro emptore, pro donato, pro legato, pro dote pro herede, pro noxæ dedito, pro suo, ut in his, quæ terra, mariq; vel ex hostibus capimus, vel quæ ipsi, ut in rerum natura essent, fecimus.* quorum quidam tituli ad dominum possessorem solum fere, ad bonæ fidei possessorem rariùs, quidam ad bonæ fidei possessorem & dominiû simul pertinere videntur. v. g. ex titulo illo speciali *pro suo*, possidet ferè solum dominus. Cæteri vero tituli ad utrumque pertinent. v. g. pro emptore possidet dominus, qui à vero domino emit l. 33. §. 1. ff. de usucap. ibi: *si eundem à domino emerit, incipiet pro emptore possidere.* add. l. 5. ff. de acq. poss. item bonæ fidei possessor ex titulo pro emptore possidet. *tot. tit. pro emptore.* in cæteris eadem est ratio.

§. XXXIX. Atq; cum detineri res ex justa domini causa non possit, nisi ex tali titulo acquisita fuerit, siquidem detentio acquisitionem

nem præsupponit, ideo de acquisitione possessionis vel detentionis plenius agendum. Res autem cujus detentio vel possessio acquiritur est *vel nullius*, & quidem ita nullius, ut tamen alicujus per se esse possit; *Vel jam est alicujus*, aut in alicujus dominio. *Si res est nullius*, per occupationem tanquam justam causam acquireretur possessio, quæ occupatio etiam naturalis possessio dicitur in *l. 1. §. 1. ff. de acq. poss.* & ad tit. *pro suo* pertinet. Sed tunc occupantem justam opinionem habere par est, rem reverâ nullius esse, aut ab alio derelictam esse quo ipso pro derelicto possidet. unde animo domini non possidet ea, quæ per naufragium in mare projecta sunt. Ea enim *non pro derelicto, sed pro deperdito* habenda sunt *l. 21. §. 1. ff. eod.*

§. XL. Quantum ad acquirendam possessionem rei, *quæ alicujus jam est*, attinet, acquiri ex justa causa non potest, nisi præter titulum etiam res, quam possidere vel detinere volumus & debemus, ab eo qui transferendi vel alienandi potestatem habet, ipso opere & effectu nobis tradatur. Tituli quinam sint potissimum, conspici potest ex §. XXVIII. In traditione verò maximum momentum situm est. Licet enim jus ad adipiscendam possessionem habeamus, tamen sine traditione, & si cogendus non est possessor, invito eo possessionem apprehendere non possumus. *l. 5. de acq. poss. Si ex stipulatione tibi Stichum debeam, & non tradam eum, tu autem nactus fueris possessionem: prædo es. Equè si vendidero, nec tradidero rem, si non voluntate mea nactus sis possessionem, non pro emptore possides, sed prædo es.* Traditio verò est possessionis datio. *l. 50. ff. de rei vind. l. 28. ff. de V. O.* Dari autem vel transferri possessio non potest, nisi tradens & ipse à possessione desistat, *d. l. 50. & res tradenda ab alio quodam possessore vacua tradatur. l. 3. §. 1. ff. de act. empt. l. 52. §. 1. ff. de Verb. Obl.* Res simpliciter possessione vacua, vel vacua possessio dicitur, si alius in ejus possessione ulla ratione non sit. *l. 2. §. 1. de act. empt.* ubi Paulus: *Vacua possessio emptori tradita non intelligitur, si alius in ea legatorum fidei vel commissorum servandorum causa in possessionem est, aut creditores bona possideant, idem dicendum est, si venter in possessione sit, nam & ad hoc pertinet vacui appellatio.*

§. XLI. Traditio vel citra voluntatem possidentis fit, vel ex voluntate. *Citra voluntatem v. g. Si creditores ex secundo Prætoris*
ris

ris decreto in bona debitoris mittantur. l. 15. §. 16. ff. de damno in-
fecto. tunc prætor & non domino autore possessio traditur, & iuste
& ex causâ ad animum domini sufficienti possidetur. l. 11. ff. de
acq. poss.

§. XLII. Ex voluntate possidentis vacuæ possessionis tradi-
tio fit, idque modo propriè sic dicto & naturali, si, quando res mo-
bilis est, rem de sua manu in manum tradat l. 5. ff. de acq. poss. &
quando immobilis est, inducat in possessionem ædium vel fundi fu-
turum possessorem, aut permittat, ut per semetipsum rem capiat.
l. 33. 34. ff. eod. l. 2. C. eod.

§. XLIII. Modo impropriè sic dicto, & civili, qui per interpre-
tationem juris idem quoad effectum ac propriè sic dictus operatur,
traditio fit, uti dicunt Jcti, vel per *fictionem brevis manus*, quæ
fictio vel inter tres personas obtinet e. g. si cum, qui mihi tradere
volebat & debebat, jusserim tertio alicui tradere. perinde enim est,
ac si res mihi primo tradita, & deinde ad tertium translata esset. vid.
l. 3. §. penult. & ult. ff. de donat. inter vir. & ux. sive inter duos
conspicitur, veluti si rem quam aliquis tibi commodaverit, aut lo-
caverit, aut apud te deposuerit, postea aut vendiderit tibi aut dona-
verit, aut dotis nomine dederit. §. Interdum 41. Inst. de rerum di-
vis. Quæ ita etiam in praxi obtinent, & de Jure Provinciali Prutenico
lib. 3. Tit. 1. Art. 12. §. 5.

§. XLIV. Item fit per *fictionem brevis manus* traditio, si quod
meo nomine animo domini possideo, alterius nomine, ad quem
rem meam translata volo, possidere incipiam, quo ipso possidere
desino, alterum verò possessorem constituo, & ministerio meo fa-
cio l. 18. ff. de acq. possess. ut etiam fit rei propriæ conductione l. 77.
ff. de rei vind. id quod Dd. *Constitutum possessorium* vocant, de
quo proximâ occasione pressius agemus secundum nostra principia. De
eadem materia aliàs post Tiraquellum Romulejus integrum tracta-
tum conscripsit. Idque receptum est propter inutiles ambages vi-
tandas. Sic etiam traditio fieri potest retentione Unstructus l. 28.
C. de donationibus. ibi: *etiamsi stipulatus non fuerit, eam continuo
tradidisse credatur, nec quid amplius requiratur, quo minus videat-
ur facta traditio.* precarii item rogatione l. 10. l. 21. ff. de acq. poss.

§. XLV. Vel per *fictionem longa manus* fit traditio l. 79.

C3

de ff.

ff. de solut. ibi: *manu longa tradita existimanda est.* Manu longa autem traditio fieri dicitur, quando res non immediatè quidem alterius corpori admovetur, sed si quis rei præsentis & vel propius veleminus demonstratæ vacuum possessionem se tradere dicat. Cujus exemplum præbet l. 18. §. 2. de acq. poss. ibi: *Si vicinum mihi fundum mercato venditor in mea turre demonstrat, vacuumque se possessionem tradere dicat: non minus possidere cæpi, quam si pedem finibus intulissim.* Item Paulus in l. 1. §. 21 eod. ait: *Et argumento esse eas res, quæ propter magnitudinem ponderis moveri non possunt, ut columnas. Nam pro traditis haberi, si in representi consenserint.* Nam quantum in me est tradidi, à cujus rei possessione scilicet discessi, & alteri, ut mox apprehendere posset, ostendi. Ejusmodi per demonstrationem facta traditio rei præsentis in quotidiano usu est, etiam de Jure Provinc. Pruten. lib. 3. tit. 1. artic. 12. §. 7.

§. XLVI. Vel etiam per *symbolum* aliquod traditio fieri potest. v. g. Si instrumenta vel documenta Originalia super fundo vel alia re quadam tradantur l. 1. C. de donationibus, nec opus est, ut prope rem fiat traditio, quod & in praxi observatur. Item de Jure Prut. cit. loc. §. 6. Sic & emptori in conspectu horrei merces per claves traduntur. l. 74. ff. de contrah. empt. *Clavibus traditis, ita mercium in horreis conditarum possessio tradita videtur, si claves apud horrea tradita sint.* add. l. 1. §. 21. ff. de acq. poss. quanquam præsentia horrei in praxi non adeo strictim observetur, nec de jure Prut. expressè requiratur. cit. lib. 3. tit. 1. art. 12. §. 5.

§. XLVII. Tam variè & liberè traditio fieri potest. Id tamen circa merces aliunde in civitatem importatas in praxi observari meretur, quod libertas traditionis utilitatis publicæ & commerciorum causâ in emporiis præsertim per statutarium jus soleat restringi ad certum quendam traditionis modum, antequam possessio rei venditæ tradi possit. Sic qui Regiomontum tabulas quercinas promercales vel vendendas, vel venditas tradendas advehunt, illi non possunt aliter easdem emptori tradere, quàm ut in aream tabularum quercinarum (vulgò *Klapper-Wiese*) easdem reponi, & postquam ratione virtutis & vitii examinatæ fuerint, Schedulam super translatione abInspectore areæ extradi curet, quæ vulgò *Haupt-Zettel* dicitur, quâ extraditione factâ, emptor demum veram possessionem, & porrò

& porro, si tradens dominus fuit, proprietatem, vel si dominus for-
san non fuerit, bonæ fidei possessionem nanciscitur. Unde fit, quem-
admodum ante extraditionem illius Schedulæ acquisitionis tabulæ
in area repositæ à venditoris Creditoribus arrestari poterant: ita ex-
traditione facta nullum arrestum amplius locum habere possit.
Item Cineres aliunde huc asportati non aliter quàm in Repositorio
cinerum (vulgò *Aschhoff*) prævio examine cinerum; & cannabis, li-
num, & alia ejusmodi ab exteris allata non aliter quam per li-
bram publicam (vulgò *über die Wage*) traduntur, uti observantia
testis est.

§. XLVIII. Nihil autem interest, utrum ipse dominus tradat,
alicui suam rem, an voluntate ejus alius, cujus ejus rei possessio vel
porestas permessa est. l. 9. §. 4. ff. de acquir. rer. dom. §. 42. Instit. de
rer. divis. secundum vulgatum: *quod quis per alium facit, ipse facere
videtur* c. 72. de reg. jur. in 6. Idque adeo procedit, ut is, cui libera
universorum negotiorum administratio à domino, qui peregrè forsan
profectus est, fuerit permessa, absque speciali mandato prout nego-
tiorum id exegerit administratio res suæ ad administrationi commissas
& vendere & tradere, & emptoris facere possit. d. l. 9. & §. 42. jun-
cta l. 12. & ult. ff. de curatoribus furioso. item l. 58. ff. de procuratori-
bus, ibi: *potest exigere, aliud pro alio permutare*. Nam eo usq; volun-
tas atq; mens domini mandantis progressa esse videtur. add. l. 59. eod.

§. XLIX. De cætero si traditio quocunqve modo facta posses-
sionem transferre debet, necesse est, ut nullus error in re aut corpore
tradendo interveniat, aliàs nec recessisse tradens à possessione nec ac-
quirens accepisse videtur l. 34 ff. de acq. possess.

§. L. Rursus à parte acquirere volentis possessio nem necessaria
est rei traditæ apprehensio. Quicquid enim non apprehenditur, il-
lud nec detinetur, & per consequens non possidetur. Nec animus ap-
prehendendi vel tenendi sufficit, l. 3. §. 6 ff. de acquir. possess. sed &
actualis apprehensio requiritur, quæ ipso facto, naturaliter, corpore
vel corporis quodam ministerio expedienda est. l. 23. ff. eod. ibi: *pos-
sessio nisi naturaliter, comprehensa ad nos non pertinet* l. 8 ff. eod.
nulla possessio adquiri nisi animo & corpore potest add. l. 3. §. 1. ff. eod.
Unde in l. 1. §. 15 ff. si is qui testam liber possessio & facti & animi esse
dicitur. Ex quo simul hoc consequitur, quod furiosus & pupillus
infans

infans sine tutoris autoritate non possint incipere possidere: quia affectionem tenendi non habent, licet maximè corpore suo rem contingant, sicuti si quis dormienti aliquid in manu ponat l. 1. §. 3. ff. de acq. poss. Sequitur & hoc, quod licet thesaurum in fundo meo positum sciam, & affectionem tenendi habeam, non tamen possideam, nisi & thesaurus loco motus sit, quia alias non est sub custodia nostra. l. 3. §. 3. ff. eod.

§. LI. Modi apprehendendi respondent modis tradendi. Uti enim traditur res, ita quoque apprehenditur. Idque proprie sive corporaliter vel improprie aut per interpretationem juris. Proprie fit, apprehensione corporali d. l. 3. §. 3. ff. de acq. poss. quando rem mobilem apprehendimus; immobilem ingredimur, & pedem vel sedem nostram in ea ponimus. l. 1. §. 13. §. 19. l. 18. §. 2. ff. eod. Unde & Pauloin d. l. 1. pr. eod. nata videtur allusio quod possessio sit positio pedum vel sedium. Quod autem diximus, sunt verba ejusdem Pauli in l. 3. §. 1. ff. eod. & corpore & animo adquirere nos debere possessionem, non utiq; ita accipiendum est, ut qui fundum possidere velit, omnes glebas circumambulet: sed sufficit, quamlibet partem ejus fundi introire, dum mente & cogitatione hac sit, uti totum fundum usq; ad terminum velit possidere. Id quoque repetit Jus Pruten. lib. 3. tit. 5. Art. 1. §. 5.

§. LII. Improperie, vel per interpretationem juris fit apprehensio si res demonstrata oculis usurpetur & ita quasi apprehendatur. v. g. fundi vacua possessione de turri demonstrata. l. 18. §. 2. ff. de acq. poss. Non est enim, per l. 1. §. 21. ff. eod. corpore & actu (secundo) necesse adprehendere possessionem, sed etiam oculis & affectu. Sic si venditorem quod emerim, deponere in mea domo jusserim, possidere me certum est, quanquam id nemo dum attigerit. dict. l. 18. §. 2. eod. Item apprehendisse videor, simulatque custodiam posuerim. l. 51. ff. eod.

§. LIII. Acquirimus autem non tantum per nosmetipsos, sed etiam per alios. Per alios quidem animo nostro, corpore tamen & animo simul eorundem. l. 1. §. 9. & 10. ff. eod. l. 3. §. 12. eod. Nam v. g. si secundum l. 1. §. 19. eod. jubeas servum tuum possidere, & is eo animo intret possessionem, ut nolit tibi, sed potius Titio (nominatim) adquirere, non est tibi acquisita possessio. add. §. seq.

§. LIV

§. LIV. Et quidem aliorum, per quos possessionem apprehendimus negotium principaliter *ab animo nostro* id est, scientiâ & voluntate nostra pendet, ita quidem, ut licet servi etiam nobis invitis ex omnibus ferè causis acquirere possint *l. 32. ff. de acq. rer. dom. possessionem tamen apprehendere non nisi nobis scientibus queant. l. 44. §. 1. ff. de acq. poss.* Nil tamen obstat, quin dicamus, interdum alios *nobis ignorantibus* possessionem acquirere, *scilicet secundum quid, certa ratione & respectu.* Nam servi & liberi, qui sunt sub nostra potestate, in negotiis peculium suum concernentibus, (liberi quidem quoad peculium profectitium §. 1. *Inst. per quas personas*) nobis ignorantibus acquirunt rerum possessionem. Ratio est, quod rerum peculiarium acquisitio jam consensum nostrum in universum habeat. Id tradit *l. 1. §. 5. de acq. poss. Item acquirimus possessionem per servum aut filium, qui in potestate est, & quidem earum rerum, quas peculiariter tenent etiam ignorantes, quia nostrâ voluntate intelligantur possidere, qui eis peculium habere permisimus.* Quod autem in hisce generalis consensus sufficiat, nec semper speciali opus sit, sed quod eatenus ignorantibus nobis possessio acquiri possit, ejus rei rationem, affert Papinianus *ind. l. 44. §. 1. ff. eod. Quæsitum est, cur ex peculii casu per servum ignorantibus possessio quærat? Dixi, utilitatis causa jure singulari receptum, ne cogèrentur domini per momenta, species & causas peculiarium inquirere.* Uti autem dominus justam acquisitionem in concedendo peculio intellectam voluit, ita servus vel filius justam tantum possessionem ignorantem domino quærere potest. Unde Javolenus in *l. 24. ff. eod. Quod servus ius ignorante te vi possidet, id tu non possides.*

§. LV. Similiter procurator noster universorum bonorum vel negotiationis nostræ, ut libera persona nobis ignorantibus possessionem acquirere potest. *l. 1. C. de acq. possess. l. 49. §. ult. ff. eod.* Semel enim generaliter ipsi mandavimus, ut negotia nostra gereret, & ab initio eo animo fuimus, ut vellemus, quicquid gereret, nobis acquireretur, unde non refert, si postmodum ignoremus, aut non specialiter sciamus, quo momento temporis possessio procuratori tradatur, quare & hoc secundum *d. l. 1. Cod. eod. tam ratione utilitatis, quam juris prudentiâ receptum est.* Idem obtinebit in servo vel filiofamilias, si velut procurator bona & negotia universa administret, prout Ulpianus

D

nus

nus postquam in l. 34. §. 1. ff. eod. repetiisset, per procuratorem ignorantem acquiri. §. 2. subdit, *Servus quoque meus* (scilicet ut procurator) ignorantem mihi acquireret possessionem. Tutores porro & curatores nobis ignorantibus possessionem nobis acquirere constat. l. 1. §. 20. eod. junctis alleg. textibus. Sunt enim magis quid ac procuratores, illi namque nullo mandato indigent. Potius tutor qui tutelam gerit, quantum ad providentiam pupillarem domini loco haberi debet. l. 27. ff. de administ. tut. Tutores & curatores siquidem pupilli vel adolescentis personam presentant & intellectus defectum suppleunt, l. 32. §. 2. ff. de acq. poss. ibi: *judicium infantis suppletur auctoritate tutoris, utilitatis enim causa hoc receptum est.* Unde a deo non possessionem tantum, sed etiam proprietatem ignorantibus acquirunt. l. 13. ff. de acq. rer. dom. ibi: *Et tutor pupilli pupille similiter ut procurator emendo nomine pupilli, pupille proprietatem acquirat etiam ignorantibus.* add. l. 8. ff. de rebus eorum. Idem, quod scilicet per liberos. Procuratores, tutores & curatores nobis ignorantibus dicto modo acquiratur usu & de jure Pruten. quoque obtinet. lib. 3. tit. 5. art. 1. §. 9. Sic tandem res traditur & apprehensa detinetur & possidetur.

§. LVI. Id tamen observandum, quod, licet de jure civili possessio prout facta est & traditionem & apprehensionem requirit, nisi naturaliter comprehensa ad nos non transeat adita hereditate cum ceteris juribus, atramen per statutum introduci possit, ut possessio defuncti ipso jure absque apprehensione transeat & continetur in heredem, hoc cum effectu, ut heres interdicto retinendae & recuperandae possessionis uti possit. Talem consuetudinem in regno Franciae & multis Italiae locis, item in Hispania obtinere constat. Consuetudo illa gallicè dicitur: *Le mort saisit le vif.* De qua integrum conscripsit tractatum Tiraquellus, qui uno verbo in latinum aliter vertere non novit, quam ita: *Mortuus mancipat viduum, vel investit vivum,* quod significat, mortuus videtur dare possessionem vivo heredi r. declar. n. 1. seqq. Idem 2. declarat. per inductionem statutorum singularum provinciarum hanc consuetudinem Galliae generalem esse inq; multis Italiae locis vigere confirmat. De Hispania constat ex Ant. Gomez, ad leg. Taurin. 45. vid. Parladorius quot. diff. cap. 26. Possessionem

tionem autem ejusmodi à Dd. *Civilissimam* nominari notum est, quod & ipse Tiraquellus *declarat 7ma. 3.* asserit, sed rectè ibidem hocce post alios monet: *hoc nomen non reperitur in jure expressum, sed est nomen magistrale, nec constituit novam speciem possessionis, nec facit differentiam essentialem inter hanc possessionem & aliam civilem, sed significat solum differentiam in modo acquirendi quia ista possessio acquiritur sine actu apprehensionis vero vel ficto.* In Germania verò communiter, & in hac nostra provincia jus civile hoc in casu retinetur vid. *Jus Prut. lib. 3. tit. 5. art. 1. §. 12.*

§. LVII. Denique cum ad rem possidendam requiratur, uti dictum, traditio & apprehensio rei, patet, quod propriè secundum l. 3. ff. de acq. poss. tantum possideri possint, quæ sunt corporalia, quæ suâ naturâ tangi possunt. Nec interest an totum quid sit, an pars quædam, modò certa sit. Incertam enim partem rei autore Paulo l. 3. §. 2. eod. *possidere nemo potest*, siquidem incerta pars secundum Pompon. l. 26. ff. eod. *nec tradi, nec capi potest, veluti si ita tibi tradam, quicquid mei juris in fundo est.* Nam qui ignorat, nec tradere, nec accipere id, quod incertum est, potest. Sic pars pro indiviso ratione quoræ, in quam totum nondum corporaliter, sed intellectu divisum est, certa pars est, & tradi & apprehendi & possideri potest in toto. l. 5. ff. de stip. serv. *Servus communis sic omnium est non quasi singulorum totus, sed pro partibus utiq; indivisis, ut intellectu magis partes habeant, quam corpore.* Econtrario consequitur, cum res incorporales, ut jura, servitutes, quæ suâ natura tangi non possunt, §. un. *Inst. de reb. corporal. & incorporal.* nec tradi naturaliter, nec apprehendi queant, adeoque illorum rerum possessio propriè non detur. Datur tamen *anologica vel quasi-traditio & apprehensio* in rebus incorporalibus. Aparte transferentis enim locum traditionis explet *Patientia*, à parte acquirentis, *Usus vel exercitium.* Patientiam contestamur vel *expresse* vel *tacite.* Et quidem si res incorporales sive jura ut sunt jurisdictio, venatio & alia ejusmodi fundo vendito adhareant, patientiam *expresse* contestamur simul dum fundum cum suis juribus venditū emptori tradimus, *inducendo eundem in vacuâ possessionem.* Quam rationem licet etiam fundus ipse venditus nō sit, sed jus servitutis cujusdam tantum ad alium transferendum est, similiter adhibemus

bemus in dando vel tradendo jure servitutis, idque autore Gajo in l. 3 ff. de Usufructu, ibi: *Dare autem intelligitur (scilicet heres usufructum) si induxerit infundum lagatarium*; Item expresse patientiam contestamur, per cautionem, nos passuros, alium jure uti. Quod pertinet l. 3. §. 2. ff. de act. empti. *Si iter, actum viam, aqueductum per tuum fundum emero vacua possessionis traditio nulla est, itaque cavere debes, per te non fieri, quod minus utar, item l. 20. ff. de Servitutibus: Quoties via, aut aliquod jus fundi emeretur, cavendum putat esse Labeo, per te non fieri, quo minus eo jure uti possit: quia nulla ejusmodi juris vacua traditio esset.* Tacite intelligitur patientia, si alterum in usu juris nullo impediam obstaculo, sed tacita patientia, silentioque eundem confirmem. id innuit Javolenus quando allegatis verbis l. 20. ff. de Servitut. subdit. *Ego puto usum (etiam, silentio scilicet & tacite relictum) ejus juris pro traditione possessionis accipiendum esse.* add. d. l. 3. ff. de Usufructu. ibi: *eumve patiat, (tacite scilicet) frui.* Utamque tradendi rationem conjungit Ulp. in l. 11 §. de public. in rem act. ibi: *Itemque servitutibus urbanorum praediorum per traditionem (nimirum expressam patientiam) constitutis, vel per patientiam, (in specie ita dictam sc. tacitam) forte si per domum quis suum passus est aqua ductum transduci.* Item rusticorum, nam *hic traditionem & patientiam tuendam constat.* Apprehensio quasi sit juri fundi annexorum, simul ac ipsum fundum emptum, vel, si servitus in alieno fundo debeatur, simul ac fundum tanquam corpus serviens ingressus, & prima statim occasione jure tuo usus fueris. Quoad concordantem praxin prutenicam vid. Jus Provinc. l. 3. Tit. 1. art. 1. §. 5. & 6. Quare possessio rerum incorporalium analogica & quasi possessio erit. vid. l. 1. §. 17. ff. de vi & vi armata ibi: *qui usufructus nomine fuit quasi in possessione.*

§. LVIII. Cum itaque ex deductis elucescat, quod possessio propriissime sic dicta, princeps & absolute talis, sive *κατ' ἐξοχήν* Civilis, quam in vestigavimus, sit non qualis qualis, sed actualis detentio rei corporalis, qua res tanquam propria sive animo domini, non affectato, sed vero, ut certo nobis persuasum habeamus, nos veros rei dominos esse, sub potestate habetur, eo quod vel tanquam res nullius aut pro derelicto occupata, aut ex justo domini titulo à domino, qui dominus creditus est, vel fuit, tradita & apprehensa sit,

fit, & quidem eo fine, ut liber & absolutus obtineri possit usus, nec alius possessore invito ulla ratione uti & possidere queat; Ergo breviter contracta possessionis definitio hæc erit: *Possessio est actualis & vero animo domini constans detentio rei corporalis eadem liberè utendi.* Hanc definitionem perfectam judicat Contius lib. I. disp. 9. licet demptis quibusdam verbis, quibusdam superadditis eam sic expresserit: *Possessio est corporalis rei detentio concurrente simul animo atq; affectione domini, sive dominandi atq; pro domino ea re utendi, fruendi, eamq; alienandi, & omnimodam in eam rem potestatem habendi.*

§. LIX. Sic vidimus Possessionis absolutè ita dictæ *Substantialia* ut Dd. loqui amant, vel *essentialia*. Perlustranda jam veniunt, quæ essentiam possessionis ita constitutam consequuntur, aut propter eam competunt. Ejusmodi à Dd. vocari solent *Naturalia interna*, quæ intrinseca quasi qualitate insunt, quæ Analytici proprias passiones vel affectiones appellare consueverunt. vid. *Zafius lib. 1. Sing. Resp. cap. 12.* Postquam enim possessio suam sortitur existentiam, simulac enascitur quoque jus quoddam, quod ipsi per se ut proprietas inest. Atque cum dictum sit, possessionem esse actualem detentionem, *primo loco* jus hocce possidenti competit, ut non semper pro conservanda possessione, *actu secundo* ita dicto, animo scilicet & corpore simul possidere cogatur, qui possidendi modus jam supra §. XVIII. Naturalis dictus est; sed interdum solum *actu primo*, i. e. *solo animo* possessio in re, corpore semel apprehensâ, retineri continuari & ita conservari possit. l. 25. §. 2. de acq. poss. ibi: *quod solo animo possidemus.* l. 30. §. 5. ff. eod. ibi: *retinere enim animo possessionem possumus, adipisci non possumus.* Quæ ratio vel modus retinendæ possessionis *jure consistit*, l. 10. C. eod. & inde Civilis nominari solet d. §. XVIII. Ideo autem à legibus possessioni id tributum est, quoniam, ut vidimus, eadem ad usum rerum tam mobilium, quàm immobilium directâ est, & legitimè quaesita, ut adeo absque voluntate possessoris propter omissam solam corporalem detentionem, quæ nec semper continuari potest, aut opus est, non statim possessio, saluberrimum istud utendi medium, perderetur.

§. LX. *Animo autem possidere vel possessionem retinere dicimur,*

cimur, quamdiu voluntatem possidendi habemus & etiam possidere possumus, vel statim vel obstaculo remoto, quod quidem in nostra potestate positum sit, v. g. si longè à fundo nostro absumus. Quoties enim sic ab actu primo non datur progressus ad secundum, toties actus primus nullus redditur. Hanc in rem & quantum quidem ad rem mobilem attinet, ait Nerva filius in l. 3. §. 13. ff. de acq. poss. res mobiles, excepto homine, quatenus sub custodia nostra sint, hactenus possideri, id est, quatenus si velimus, naturalem possessionem nancisci possimus. l. 3. §. 13. ff. de acq. poss. etiamsi in presentia ignoremus ubi sint, sed inquisitio debita interim cesset. Unde à contrario sequitur quod dicit Pomponius: Si id quod possidemus, ita perdidimus, ut ignoremus ubi sit, desinimus possidere. l. 25. ff. eod.

§. LXI. Quod ad res immobiles pertinet, animo solo retinemus earum possessionem, quamvis neque ipsi in possessione naturali sumus seu corpore detineamus, ut ait. Imp. in l. 4. C. eod. Licet possessio nudo animo acquiri non possit, tamen solo animo retineri potest: Si ergo praediorum desertam possessionem non derelinquendi affectione transacto tempore non coluisti, praedictum tibi ex transmissi temporis injuria generari non potest. Sic in l. 1. §. 25. ff. de vi & vi arm. dicitur, estivorum hybernorumq; saltuum nos possessiones animo retinere. Et porro in l. 3. §. 7. ff. de acq. poss. Sed & si animo solo possides, licet alius in fundo sit (vel moretur) adhuc tamen possides. Item retinemus animo possessionem si illi, qui nostro nomine in possessione sunt, moriantur, aut furere incipiant, aut alii locent. l. 25. §. 1. l. 40. §. 1. ff. eod. vel si forsitan per desidiam aut dolum possessionem deseruerint quoniam illorum dolus nobis damnosus esse non debet l. ult. Cod. d. tit. l. 7. ff. pro emptore. Idque & tunc obtinet, quando ab alio dolo ad deserendam possessionem inducti fuerunt. l. 31. ff. de dolo malo. Ut vero animo ita possessionem retinere queamus, utroque casu requiritur, ut immobilis res nostra deserta ab alterius possessione vacua permaneat, vel etiamsi ab alio occupata sit, nos tamen ignoremus l. 46. ff. de acq. poss. ubi additur ratio: non enim debet ignoranti tolli possessio, quae solo animo tenetur. Sic qui ad nundinas abiit, & neminem domi reliquit; alius autem pro ignorante dum redit, clam occupat possessionem, is retinet possessionem.

possessionem. l. 6. ff. eod. *Aut siquidem non ignoremus, saltem tamen credamus, eum qui occupavit, nobis esse cessurum, vel facile expulsurum iri finibus. l. 18. §. 3. eod.* E contrario vana est voluntas & animus nullus est, si velis quidem, sed possessionem apprehendere, *vel non audes* præ metu l. 7. ff. eod. *vel non potes* propter naturale quoddam impedimentum v. g. inundationem maris vel fluminis longius durantiem l. 12. §. 1. ff. de reb. aut. jud. poss.

§. LXII. *Secundo loco inest & hoc proprium possidenti, ut, si quis turbare possidentem in possessione & controversiam facere velit, contra turbantem in immobilibus tueri se possit interdicto retinenda possessionis, quod vulgò uti possidetis appellatur. l. 1. pr. & §. 4. ff. uti possidetis. ad cuius exemplum Utile interdictum datur ei, qui quasi possessionem rerum incorporalium habet. l. sicut 8. §. 5. si serv. vind. eod. ibi: Sed & interdictum uti possidetis poterit locum habere, si quis prohibeatur, qualiter velit suo uti.* In rebus mobilibus competit possidenti contra turbantem interdictum *Utrubi* à verbis edicti ita appellatum cuius vis & potestas cum interdicto uti possidetis exequata est. §. *retinenda 4. Inr. de Interdictis. l. un. ff. Utrubi.* Venit autem in interdictum, uti possidetis, ut turbator desistat à turbatione l. 1. ff. uti possidetis. ut possessionem restituat, si vi aut clam aut precario possideat. d. §. 4. *Inst. de Interd. deniq; ut præstet quanti interest, non fuisse turbatam possessionem d. l. 1. §. 3. §. ult. ff. uti possidetis.* Idque necesse est, eum alias liberrimus rei suæ non possit exerceri usus, quem possessio, ut dictum est, continuo respicit. Concordat Jus prut. lib. 3. tit. §. art. 2. §. 2.

§. LXIII. *Tertio si quis possidenti controversiam faciat, non cogitur allegare suum titulum ex quo animo domini possidet, sed qui petit, jus suum præsumptum probare debet, qui hoc pro onere habet, ut ita quietè & securè uti re sua possit.* Adeoque semper in possessione sua pendente controversiâ defendendus; absolvendus autem, si petitor potius jus non probaverit, licet ipse possidens nihil pro suo jure vel possessione defendenda præstiterit l. 11. C. de petit. hered.

§. LXIV. *Quartò Possidenti ad defendendam possessionem, inculpata tutela moderatione illatam vim propulsare licet, l. 1. Cod. unde vi. uti vim vi repellere licet, quod jus naturâ comparatur, ex quo & arma armis repellere licet. l. 1. §. 27. ff. de vi & vi arm.* Ad
defensio-

defensionem quoque pertinet, *Dejicientem incontinenti rursus dejicere.* l. 3. §. 9. ff. de vi & vi arm. *Eum igitur qui cum armis venit, possum armis repellere, sed hoc confestim, non ex intervallo.* Et hoc ad nullam vim refertur. l. 17. eod. *Qui possessionem vi ereptam, ut in ipso congressu recuperat, in pristinam causam reverti potius, quam vi possidere intelligendus est.* Coincidit Jus Pruten. lib. 3. tit. 5. art. 3. §. 9.

§. LXV. Sic tamdiu retinetur possessio, donec eandem amittimus. Amittimus autem eandem vel *voluntate nostra*, idque vel *irrevocabiliter*, vel ad tempus & ut res possessa restitatur; vel *invitii*. *Voluntate nostra* amittimus irrevocabiliter, si à possessione discesserimus l. 3. §. 9. ff. de acq. poss. Quod *regulariter* fit animo & corpore simul l. 8. ff. eod. interdum *animo solo* præsertim quoad sensum, ita ut corpus quidem in fundo naturaliter aliquantisper sit, & moretur, postmodum subsequatur, idque eundem habet effectum ac si statim animo & corpore à possessione discesserimus l. 3. §. 6. eod. *Itaque si in fundo sis, & tamen nolis eum possidere, protinus amittes possessionem.* alteri autem relinquatur vacua possessio, quod sufficit. Sic secundum l. 17. §. 1. *possessio recedit, ut quisque constituit nolle possidere.* Et porro, *si quis eam mente possessionem tradidit, ut postea restitatur, desinit possidere.* *Invitii* amittimus possessionem, si per vim dejecti sumus. d. l. 3. §. 9. Non enim amplius animo possessionem retinere possumus, dum ipsam possessionem apprehendere amplius propter vim alterius expulsivam facultas non est. *Nec duo vel plures in solidum eandem rem (vere) possidere possunt.* l. 5. §. 15. commodati, l. 3. §. 5. ff. de acq. poss. ubi additur: *Contra naturam certe est, ut cum ego aliquid teneam, tu quoque tenere videaris, & §. Trebatius: non magis enim eadem possessio apud duos esse potest, quam ut tu stare videaris eo in loco, in quo ego sto, vel in quo ego sedeo, tu sedere videaris.* add. l. 19. ff. de precario. Sed tamen jus possidendi, quod ex semel acquisita possessione nati sumus non perdidimus. Nam quoad hoc, si quis vi de possessione dejectus sit, perinde haberi debet, ac si possideret. l. 17. ff. eod.

§. LXVI. *Quinto loco id possessioni jus inhæret, ut experiri interdicto de vi recuperandæ possessionis possessor vel qui jus possidendi habet facultate polleat.* d. l. 17. l. 1. §. 1. ff. de vi & vi arm. §. *summa*

famma i. vers. restitutoria. & §. recuperandæ. 6. Inst. de interdictis. Competit autem hoc interdictum ad hoc, ut possessio restituatur. cum omni causa, quam actor habuisset, nisi fuisset dejectus. d. l. i. §. 31. ff. de vi. Hinc illud: *Spoliatus ante omnia restituendus.* cap. i. Extra. de restitut. Spol. & Canon. *Redintegranda sunt omnia exspoliatis & ejectis.* caus. 3. q. 1. Contentit Jus Prut. lib. 3. tit. 5. art. 3. §. 4.

§. LXVII. Affectiones plures competunt possessioni, quæ animo domini constat, sed prodiversitate suarum specierum, quæ eisdem subjectæ sunt, quibus primò competunt. *Vel* enim est acquisita ab eo, qui verè dominus fuit; *Vel* ab eo, qui revera dominus non fuit. *Possessio acquisita ab eo, qui verè dominus fuit*, licet forsan id non certò sciverit possidens, hoc proprium habet, ut simulac suam cepit substantiam, possidenti progignat proprietatem, vel dominium, quatenus solam proprietatem significat. l. 13. de acq. rer. dom. ibi: *dominium, id est, proprietas acquiritur*: quod & asserit §. ex his 4. Instit. per quas personas. ibi: *& per hanc possessionem (ex titulo acquiritur) etiam dominium, si dominus fuerit, qui tradidit.* add. l. 20. ff. de acq. dom. item. l. 8. C. de acq. poss.

§. LXVIII. Sed possessio animo domini iusto titulo *acquisita ab eo, qui non verè dominus fuit*, specialiter *Bona fidei possessio* dicitur l. 27. ff. de cont. emp. Hæc non quidem proprietatem vel dominium parere potest, siquidem secundum l. 20. ff. de acq. dom. *traditio nihil amplius transferre debet vel potest ad eum, qui accipit, quàm est apud eum, qui tradit.* Adeoque possessio hæc bonæ fidei tantùm progignat *quasi dominium* vel ad instar *proprietatis* l. 7. §. 6. ff. de public. in rem act. l. 48. ff. de acq. dom. quod primum huic speciei proprium esse potest.

§. LXIX. *Secundò* Possessio hujus speciei, hoc proprium habet, ut *per tempus lege definitum ipsum verum dominium procreet*, quæ domini acquisitio alias *Usucapio* audit tot. tit. ff. de Usucap. *Causa est, quod verus dominus, per tam longum tempus tacendo, in translationem consensisse creditur & supplevisse, quod in tradente deficiebat.* l. 1. ff. de Usucap. l. 28. ff. de V. S.

§. LXX. *Tum Tertio* possessio animo domini constans in hac specie

E

specie loco proprii habet, ut quamdiu res usucapta non est, loco re-
vindicationis, instituere possit *Actionem Publicianam*, quæ ab Au-
tore ita dicta est. Tale enim Edictum proposuit Prætor Publicius in
l. 1. ff. de publ. in rem. act. *Si quis quod traditur ex justa causa
non à domino & nondum usucaptum petet, iudicium dabo.* scilicet
ad rem amissam persequendam & recuperandam. §. 4. *Inst. de Actio-
nib.* Cum enim bonæ fidei possessor omnia adhibuerit, quæ domi-
nus verus ad consequendum verum dominium adhibere solet, à
tradente autem decipi potuerit, adeoque usucapione tantum ad cer-
titudinem domini præsumpti indigeat, ideo instar proprietarii ha-
betur & hinc porro secundum l. 7. §. 6. ff. de Publ. act. *Publiciana
actio ad instar proprietatis, non ad instar possessionis respicit.*

§. LXXI. Tandem quartò exinde competit bonæ fidei possessio-
ni & hoc, ut possessor ex re possessa, (quæ quidem per se, ipso ta-
men possessore ignorante, aliena est) interim, sive donec verus domi-
nus supervenerit, omnes omnino fructus tam naturales, quam indu-
striales, tam quos consumpsit, quam quos percepit, semper & simpli-
citer more dominorum suos faciat vel lucretur. l. 25. l. 28. ff. de usuris.
ibi: *statim pleno jure sunt bonæ fidei possessoris.* l. 4. §. 19. ff. de Usucap.
Causa est, quod, uti dictum, quasi dominus est. & in speciel. 48. ff. de
acq. rer. dom. ait: *quia quod ad fructus attinet loco dominipene est.*
Neque enim tantum iisdem modis & mediis ac verus dominus rem
acquisivit, sed etiam animo domini & ex bona fide omnem rei pos-
sessæ curam, culturam & diligentiam in ea adhibuit, quam veri do-
mini adhibere solent. §. 38. *Inst. de rer. divis.* adeoque secundum l. 136.
ff. de R. J. *bona fides tantundem possidenti præstat, quantum rei veritas.*
Porro exinde æquitas suavit, ubi dominus supervenerit & possessor ani-
madverterit, sese dominum non esse, sed hætenus bona fide possedisse,
ut domino quidem res possessa cum quibusvis pendentibus in ea vel
stantibus, & naturalibus adhuc exstantibus fructibus restitueretur, bo-
næ fidei possessori tamen intuitu ipsius curæ & culturæ ex bona fide ad-
hibitæ, omnes industriales usq; ad superventum percepti vel à solo sepa-
rati fructus relinquerentur l. 45. ff. de Usuris. à tempore litis verò usq;
ad litis contestationem consumpti fructus non repeterentur l. 4. §. 2. ff.
finium regund. Jus Prut. cum quadam distinct. l. 3. Tit. 1. art. 9. Tan-
tum de naturâ & qualitatibus principis sive Civilis Possessionis.

SECUNDA PARS.

ULB Halle
004 589 297




3

Sb.

VD 17







19

1684, 1
14
16

Q. D. B. V.
DISPUTATIO JURIDICA
DE
POSSESSIONE,
Quam
Ex Decreto
Amplissimi Senatus Academici
secundum Statuta
PRO LOCO
PROFESSIONIS IN JURE EXTRA-
ORDINARIÆ
obtinendo
Publicæ Eruditorum disquisitioni
subjicit
SIGISMUNDUS DÖSCHER,
U. J. D. Sereniss. Elect. Brand. Cōsiliarius;
& Judiciæ Aulicæ, quod rerum crimi-
nialium est, Assessor,
RESPONDENTE
JOHANNES BEHREND,
Insturb. Pruss.
Ad. d. 3. Febr. Anni M. DC. LXXXIV.
IN AUDITORIO MAJORI
Horis ante- & pomeridianis.
REGIOMONTI, PRÆLO REUSNERIANO.

P. 63

